



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 39va-40ra  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 14 quaeritur primo utrum supra firmamentum sint aliquae aquae, ut innuitur primo capitulo Genesis.

Videtur quod non, quia aqua naturaliter gravis est. Locus autem proprius gravis non est esse sursum, sed potius deorsum, ergo aquae supra caelos non sunt.

Praeterea. Cum aqua sit elementum, ordinatur ad generationem mixti; sicut imperfectum ad perfectum. Sed super firmamentum non est locus mixtionis, sed super terram. Ergo frustra esset ibi aqua. Sed in primis operibus sex dierum nihil est factum frustra, ergo ibi non sunt aquae.

Contra. Dicitur in Genesis quod Deus divisit /39vb/ aquas, quae erant sub firmamento ab hiis, quae erant supra firmamentum.

Responsio. Dicendum quod secundum Augustinum Super Genesis ad litteram maior est Sacrae Scripturae auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas. Cum igitur dicat sacra scriptura, quod supra firmamentum sint aquae, tenendum est ibi indubitantur esse. Sed quales sint illae aquae a diversis diversa dicuntur. Dicit enim Origenes quod aquae illae quae sunt super caelos, sunt spirituales substantiae, de quibus dictum est in Cantico Danielis: aquae omnes quae super caelos sunt benedicite, domino. Constat autem quod dominum benedicere non pertinet ad naturam elementarem. Sed per istam rationem posset dicere quod ignis et estus sint spirituales creaturae, quia in eodem cantico dictum est benedicendum ignis et estus domino; et tamen istud non dicitur. Unde non dicitur quod ignis vel aqua et huiusmodi creaturae sint rationales, sed pro tanto quia considerando illarum creaturarum omnium et contemplatio pertinet ad gloriam et creatoris benedictionem. Et ideo advertendum quod firmamentum dividens aquas ab aquis potest dupliciter considerari.

Primo quod per firmamentum possum intendere caelum sidereum, quod non est de natura quattuor elementorum. Alio modo possum intendere per firmamentum illam regionem mediam aeris in qua condensatur nubes, quae est regio sempiterni frigoris, ut habetur I Metheororum.

Si primo modo vocemus firmamentum caelum sydereum, tunc illae aquae non essent de natura istarum aquarum elementarium. Sed sicut dicitur caelum empyreum igneum non ab ardore, sed a splendore, in quo convenit istud caelum cum igne, ita dicitur illud caelum aquaeum vel cristallinum. Sed tunc est difficile videre quomodo firmamentum aquas ab aquis dividat, cum secundum naturam illud caelum diversum sit ab istis aquis elementaribus. Et oportet dicere secundum hoc quod aqua non intelligimus elementum aquae, sed ipsam materiam corporalem informem, de cuius parte subtiliori est factum istud caelum aquaeum. Et istam viam tangit magister in littera et Augustinus Super Genesis ad litteram contra Manichaeos. Et tunc firmamentum scilicet caelum sydereum dicitur dividere aquas ab aquis, non causans divisionem, sed sicut terminus utrarumque aquarum; et ista via est pulchra et subtilis. Si autem per firmamentum intelligamus illam partem aeris in qua nubes condensantur sic aquae accipitur proprie hinc et inde. Et sic aquae sunt quae evaporabiliter super partem aeris elevantur et per resolutionem ex eis pluviae generantur. Et sic illae aquae et istae sunt eiusdem speciei.

Fuerunt autem aliqui qui dixerunt quod aquae evaporabiliter resolutae elevantur super caelum sydereum quam opinioni reputat Augustinus omnino impossibile esse tum propter soliditatem ipsius caeli, tum quia ignis, quam transirent aquae, statim eas consumeret, tum quia locus ad quam feruntur





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIV, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 39va-40ra  
transcribed by Andrea Colli

gravia et levia non extenditur ultra concavum orbis lunae. Et sic apparet quid sit dicendum de istis aquis.

Ad argumenta patet ad primum dicendum quod secundum opinionem primam aquae illae non sunt eiusdem speciei, sed secundum ultimam possunt elevari sub forma vaporis virtute caloris solis et tunc per resolutionem in pluviam cadere.

Ad secundum dicendum quod secundum utramque opinionem illae aquae non sunt frustra, quia si aquae illae aquaeum caelum intelligantur esse vel crystallinum, quod Philosophi dicunt esse primum mobile secundum quod movetur motu diurno, tunc operatur continuitatem generationis in istis inferioribus, sicut caelum in quo sunt sydera per motum, qui est secundum zodiacum, qui motus est secundum circulum obliquum, ut dicitur II De generatione et corruptione, operatur diversitatem generationis et corruptionis per accessum et recessum per diversas virtutes stellarum. Sed secundum secundam opinionem tunc illae aquae, quae sunt super firmamentum vaporabiliter, elevatae sunt propter utilitatem pluviarum.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis de opere tertiae diei, in quo congregatae sunt aquae in locum unum, utrum convenienter aquae debuerunt congregari in locum unum qui est mare.

Ad evidentiam huius quaestionis duo ostenditur. Primum quod aquae potuerunt et debuerunt congregari in locum unum. Secundo tanguntur difficultates quaedam quae ex illa congregatione surgunt.

Quantum ad primum sciendum quod opus distinctionis attenditur secundum quod rebus collatae sunt virtutes universales moventes ad universales effectus, cuius sunt qualitates activae et passivae elementorum. Et illae virtutes elementorum fuerunt tertio die collatae /40ra/ et quia inter qualitates elementares gravitas et levitas continentur, quia ista sunt principia motus elementorum et quietis naturalis eorum. Ideo tertio die fuerunt illae qualitates collatae eis, quamvis ergo in principio receperunt elementa formas suas substantiales. Quia tamen elementum non movetur ad proprium locum, nisi mediante aliqua virtute, scilicet gravitatis vel levitatis, sicut nec ignis calefacit nisi mediante calore, ideo cum tertia die ista elementa huiusmodi virtutes receperunt congrue, recitantur distincta per motum proprium cuiuslibet. Et sic aquae congregatae sunt in locum proprium virtute propria gravitatis et ille locus naturalis aqua est mare.